

J. Uppendorff (Præs.)
W. Fabricius (Resp.)
Contra abusum S. Hebrææ
in theologia polemica.
1671.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-423 4° 1811




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-423 4° 1811


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-423 4° 1811



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-423 4° 1811



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-423 4° 1811



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-423 4° 1811

1-423

DET KONGELIGE BIBLIOTEK
DA 1.-2.S 1 4º
1 1 01 0 4 01811 7

+ REX

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-423 4° 1811

12

CONTRA ABUSUM PHILOLOGIÆ S. HEBRÆÆ IN THEOLOGIA POLEMICA.

ΑΣΚΗΜΑ PHILOLOGICUM.

Quod

SECUNDANTE SUPREMO NUMINE, CONSENTIENTE AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

IN ACADEMIA PERILLUSTRI CHRISTIAN-ALBERTINA,

Ad d. 12. Aprilis Anni 1671.

In Auditorio Philoſophico,

Placidæ φιλεβραίων συζητήσει

ſubmittunt

PRÆSES

M. JOHANNES Uppendorff/

TUNDERA HOLSATUS.

&

RESPONDENS

WILHADUS FABRICIUS,

HOLSATUS.

KILONI,

Literis Joachimi Reumanni, Acad. Typogr.

1445 3609

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-423 4° 1811

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-423 4° 1811

בעזרת הקב״ה

CAPUT I.

De Philologiæ S. in Theologiâ Uſu & Abuſu in genere.

§. 1.

VIx aliâs pejore loco res Iſraelitarum fuiſſe leguntur, qvàm cum irruentibus jam in ipſos Philiſtæorum copiis לא נמצא חרב ביד כל העם *non inventus fuit gladius in manu totius populi* (a). Miſeranda pariter fuerit Eccleſiæ facies ſuperioribus ſeculis, quando vel magna verbi divini in eadem penuria (qualis & 1. *Samuel.* 3, 2. deſcribitur) vel δυσμεταχείριστος illius ἑτοιμασία, ob ſtupendam τῶν στρατιωτῶν τοῦ Χριστοῦ (b) literarum ſacrarum imperitiam, ubivis fermè deprehenſa eſt, unde hac Spiritûs machærâ (c) deſtitutus electus Eccleſiæ cœtus, οὐ κατὰ σάρκα στρατευόμενος (d), ad excipiendos hoſtiles hæreticorum impetûs ſe nimis imbecillem fore, ipſe facilè prævidere potuit.

§. 2. Eam nimirum ἐνέργειαν in retundendis hoſtium ſpiritualium inſultibus verbo divino non obſcurè adſcribit ipſe Spiritus S., commendans illud velut τομώτερον ὑπὲρ πᾶσαν μάχαιραν, δίστομον, καὶ διϊκνούμενον ἄχρι μερισμοῦ ψυχῆς τε καὶ πνεύματος *penitrantius quovis ancipiti gladio, & pertingens usque ad diviſionem animæ ſimul ac Spiritûs.* (e) Valuerit cæteroqvi plurimum Goliathi gladius, cui ex Scripturæ teſti-

 monio

(a) 1 Sam. 13, 22. (b) 2 Tim. 2, 3. (c) Epheſ. 6, 17. (d) 2 Cor. 10, 3. (e) Hebr. 4, 12.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-423 4° 1811

monio(f) *ſimilis non inventus*, Terribilis præ cœteris fuerit gladius Alis, qui vaginâ eductus geminus apparuiſſe, nudoque adſpectu hoſtibus terrorem injeciſſe ſcribitur (g), Auſpicatiſſimum expertus ſit gladii uſum Julianus præfectus ille Cæſareus, qvi nunqvam ſpe victoriæ, illius adminiculo, ſe fruſtratum gloriatus eſt; (h) tam certum ſanè ex hoc חרב ליהוה *Gladio Domini* (i) præſidium exſpectare licebit, ut qvævis hæreticorum machinæ non magis adverſus hunc valituræ ſint, qvàm ex Arabum proverbio. لسحرة فرعون مع عضي موسي *præſtigiæ Pharaonis contra baculum Moſis.*

§. 3. Εμφατικώτατον hoc ἄυχημα divino verbo ἀναντιῤῥήτως à paucis tribui permittit juratus illius adverſarius Satanas, unde magno numero exſurgere videmus, qvi eidem omni niſu detrahere improbiſſimè laborant. Parum enim valoris huic Δυνάμει τοῦ Θεοῦ (k) relinqvunt blasphema plurimorum adſerta, qvibus verbi hujus θεοπνεύστου Αὐθεντία & Autoritas, Integritas, Perſpicuitas, & Perfectio ita elevatur, ut validioribus armis inſtruenda videatur Eccleſia DEI, niſi acriorì cuivis hoſti ſuccumbere debeat.

§ 4. Invictum verò Scripturæ S. adverſus hæreſes præſidium uti Orthodoxi uno ore profitentur, ita & hæreticorum plurimos, qvibus qvidem è meliore luto præcordia ſunt, idem ſartum tectum relinqvere liqvidò conſtat. Hinc nempe Autor Libri *Coſri* (l) בראיות הנביא בעצמו או נביא אחר שמעיר ומזהיר על תורתו: *per rationes ipſius Prophetæ* (Moſis) *aut Prophetæ alterius, ad Legem acceptandam perſuaderi ac permoveri* (*alios*) *poſſe* rectè ſatis autumat. Eleaſari

qvoqve

(f) 1 Sam. 21, 9. (g) Leonclav. Annal. ſ. Hiſtor. Muſulmann. Lib. 1. (h) ap. Camerar. hor. ſubciſ. Cent. 2. C. 29. p. 174, 175. 177. (i) Jud. c. 7, 20. (k) Rom. 1, 16. (l) P. I. n. 100.

qvoqve ipſius *συμφιλέτῃ* præceptum hoc adſignatur (m) הוי שקוד ללמוד תורה מה שתשיב לאפיקורוס *Eſto vigilans ad diſcendam legem* (ut habeas) *quod reſpondeas Epicuræo*(hæretico). E Pontificiorum caſtris Bellarminus ipſe (n) Scripturam prædicat *Gladium ſpiritualem, qui in hoc certamine* (adverſus hæreticos) *recuſari non poſſit, Eſſe Regulam fidei, ex quâ de dogmatibus judicandum ſit, Eſſe commune principium ab OMNIBUS conceſſum, unde argumenta ducantur.* Hunc in finem Autor Tractatûs qui *Phoſphorus* inſcribitur, operæ cum primis pretium facturus ſibi viſus, ſi quæ Pontificii ab orthodoxiâ aliena docent, ex Scripturis Sacris probatum iret, qvi tamen ipſius conatus qvam *ἀνεμώλιος* fuerit, egregiè oſtendit B. Gerhardus in ſolidiſſimâ Ejusdem refutatione. Neqve ipſis etiam Socinianis ab hâc ſententiâ recedere licebit, dummodo theſi ſuæ licet ſatis erroneæ *δυλέυειν* illis propoſitum ſit; qvod (o) *Quicquid ad ſalutem creditu neceſſarium ſit, id totum literis ſacris ad literam ſcriptum eſſe neceſſum ſit*; unde nec illi commune hoc principium S. Scripturæ rejicere ullo modo poterunt.

§ 5. Ad hanc Scripturæ Sacræ uſum qvantum conferat Lingvarum Originalium & præſertim ipſarum Matris Hebrææ cognitio, experti ſunt omni tempore Viri in bello hoc ſacro verſatiſſimi. *Contra hoſtes ſacros* (verba damus Megalandri noſtri Lutheri (p) *cognitione Linguæ Hebrææ opus eſt. Scio enim, quantum mihi profuerit contra hoſtes meos.* Unde & Idem alibi *Linguas Originarias Vaginas appellat, quibus Gladius ille Spiritus* (verbum DEI) *inſertus ſit.* Non ſine ratione etiam concludit B. Glaſſius (q): *Sine hujus Linguæ*

(m) in פרקי אבות ſ. *Capitulis Patrum* cap. 2. (n) Præfat. Controverſ. (o) Smaltzius Contr. Schopperum de Trinit. p. 3. (p) Comment. in Pſalm. 45. (q) Orat. de L. Hebr. Neceſſ. qvæ legitur Philol. S. Lib. 2. P. 2. fine.

guæ ACCURATA *cognitione, in arenam cum veritatis cœleſtis hoſtibus deſcendi feliciter, nedum triumfum ab iisdem reportari, non poſſe.* Qvibus gemina ſunt hæc B. Dilherri: (r) *Si cum adverſariis Scripturam Sacram admittentibus congrediendum, non verſione* ULLA *ſatis tutò uti poſſumus.* Adde his illud Flacii: (s) *Propugnatorem veritatis hâc Linguâ inſtructum eſſe* OMNINO *oportet, niſi ſemiermis infeliciter cum hoſte præliari & veritatem prodere meditetur.* Suffragatur iisdem Sixtinus Amama, aſſerens (t). *Nullum Miniſtrum, qui Linguarum rudis ſit, in arenam poſſe deſcendere cum docto Papiſta, Sociniano, nedum os poſſe obturare adverſario. Nullam enim verſionem utrinque receptam eſſe, ultimum principium eſſe Textum Originalem.*

§ 6. Unde autem hæc ad Originarium Textum recurrendi neceſſitas ſit, cauſæ ſatis urgentes ſuppetunt. Adverſariorum enim plerique in probandis ſuis heterodoxiis ex verſionibus à ſe receptis velut ex armamentariis οἰκείοις tela depromere conſveverunt, qvæ tamen קורי עכביש *telis aranearum* ſimillima eſſe, qvæ neqve pro enſe nec pro ſcuto eſſe posſint, ex ipſis Fontibus omnium optimè oſtendi poterit. Sic igitur, qvod Eraſmus alicubi obſervat; *ubi Hebrææ aut Grææ veritatis autoritas illis in os jacietur, apparebit, ſomnia eſſe, quæ* (erroneis ſuis verſionibus innixi) *velut oracula adduxerint*: Qvod ægrè ſupra modum ferre Satanam hinc prudenter conjicit Helvicus (u), qvod *facilè illi ſuboleat, quantum hæreticis Zizaniis officiat, ſi ex* ORIGINE *Spiritus Sancti ſententia eruatur. Unde ipſum quovis modo de Fonte obſtruendo laborare, quod ſi enim eò rem deducere poſſit, ut unam vel alteram verſionem Eccleſiæ obtruderet, victurum antiquum illum*

(r) in Icaro Academico lit. F. (s) Clav. Script. P. 2. Tract. 6. p. 66. (t) Parænes. qvæ habetur in Ejus Antibarb. Bibl. p. 128. (u) Vindicat. Loc. Script. V. T. p. 2.

illum Serpentem, protinus nempe omnem Chriſtianæ religionis certitudinem convulſum iri.

§ 7. Huc accedit, qvod ipſorummet Adverſariorum nonnulli ad Originarii Textûs Scrutinium nos invitent, qvod B. Lutherus experientiâ edoctus evidenter teſtatur: *Quod ſi*, inqvit, (x) *vocem Hebr. ſonare didicerint (Pontificii) niſi & nos eam didicerimus, tanquam aſinis illudent & inſultabunt.* Proinde πάσης ἀποδοχῆς ἄξιον eſt Flacii obſervatum (y): *Veritatis adverſarii ſæpè neceſſariò nos ad conſulendam hanc Linguam Fontesque Hebr. compellunt. Alias* (enim) *aut adverſarius veritatis ipſe linguis abutitur, cui eisdem armis obviandum eſt, aut in ſolius interpretis citato alio verſore acquieſcere minimè volet, ut neceſſe ſit eum proprietate NATIVI ſermonis refelli & retundi.* Feliciora aliqvanto hoc nomine tempora noſtra ſuperioribus videri poſſint, qvod tum qvidem adeò odioſum fuerit Lingg. Origin. ſtudium, ut *Græcam omnes hæreſes parere, Hebræam verò qui excoluerint Judæos effici* ridicula multorum fuerit ſuperſtitio, (z) Noſtro autem ævo ipſorum Adverſariorum teſtimonio, qvod ſec. Hebr. כמאה עדים *inſtar mille teſtium* eſt, ob inſignem ejusdem in certamine Theol. uſum non obiter tractandum eſſe prolixè præcipiatur. Satis namqve orthodoxè Andreas Valerius Deſſelius apud Sixtinum Amama (a) *Ad ſolam Scripturarum Sacrarum, LINGUARUMque, quibus eæ conditæ ſunt, ſcopum collimandum eſſe* monet. *Sic enim in manu palmam fore ſæpè etiam ante conflictum.* Et pauſò poſt. *Miramur*, inqvit, *in hæreticis literarum & Linguarum ſtudia, rident illi, in pleriſque noſtratium contemtum earundem. Notam iſtam eluamus, & cum principe illâ Scientiarum conjungamus*

(x) Commentar. in Pſalm. 45. (y) Clav. Script. P. 2. Tract. 6. p. 663. (z) qvod ex Herresbachio allegant: Dilherr. Tom. 1 Diſp. p. 672. Hottinger, Smegm. Orient. p. 21. (a) Antibarb. Bibl. p. 124.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-423 4° 1811

Linguarum Scientiam &c. Neqve verò omnes adeò γυμνῆ ſunt κεφαλῆ, ut lateat illos, qvantum roboris ex Lingg. Origin. ſtudio ad orthodoxias defenſionem accedat. Hâc ſcilicet de cauſâ Secretarium qvendam Pontifici Julio IV. abrumpendi Concilii autorem exſtitiſſe memorat Hottingerus (b) *quod nihil periculoſius à Pontifice concedi poſſet, quam ſi* (Lutherani) *ſinantur, quæ voluerint, loqui in Conciliis. Negari enim non poſſe, quin inter ipſos ſint multi ſolidè docti & diu verſati atque exercitati in ipſis Bibliorum FONTIBUS: Noſſe etiam Linguas Græcam atque Hebræam. Itaque ſi congrediantur cum Noſtratibus* (Pontif.) *multa certè imminere pericula. Apud ipſos namque Epiſcopos eſſe ferè literarum rudes, Malle ſe igitur, congreſſum & pugnam illam prudenter declinari. &c.* Nec aliâ de cauſâ Campanella *Quæſtiones Grammaticas* (qvo nomine ſeqviore ævo futilitatis notam S. Philologiæ ſtudio inurere contendebant malè feriati) *cum hæreticis abrumpendas*, eosqve à ſtudiis illis abducendos ſvadebat (c).

§ 8. Sed qvæ eſt Satanæ πανȣργία, mox aliâ viâ Linguæ Origin. ſtudium aggreſſus, ut idem ad finem jam memoratum invalidum redderet, Abuſum ejusdem fœdiſſimum excogitare enixè allaboravit, non ignorans, ex mente Senecæ: *Nihil tàm manifeſtæ eſſe utilitatis, quod non in contrarium transferat culpa.* Fuerunt ſcilicet hæc præſertim Scripturæ S. fata qverente Flacio (d), ut *quo magis ad gloriam DEI directa, tantò fœdiùs impii in contumeliam DEI & publicum damnum eâdem abuterentur, hunc enim pravorum hominum Abuſum maximè in S. literis ac illo ſacroſancto libro omnipotentis DEI animadverti.* Et veluti aliàs ſec. Ovidium: (e)

Et latro & cautus præcingitur ENSE viator,
Ille ſed inſidias, hic ſibi portat opem.

Ita

(b) Theſaur. Philolog. pag. 145. (c) Sixtin. Amama loc. cit. p. 123. (d) Præfat. Clav. Script. (e) lib. 2. Triſtium.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-423 4° 1811

Ita & varium ſpiritualis hujus machæræ uſum & abuſum obſervare licet, qvippe eadem non modo orthodoxæ veritati aſſerendæ inſigne præſtat adminiculum, ſed nec ab omnibus ita adhiberi ſolet, qvin ſæpius (etiam ex ipſis Fontibus & Linguarum Vaginis extracta) veluti gladius in manu furioſi deprehendatur, ut de eâ uſurpare liceat illud Salomonis (f) חוח עלה ביד שכר משל בפי כסילים: qvod, *ſicut ſpina quæ in manu ebrioſi, ſic dictum* (etiam ipſum DEI verbum) *in ore ſtultorum.*

§ 9. Et qvanta ſe hîc non prodit neceſſitas cognoſcendæ Linguæ Originariæ, hâc enim ignoratâ, qvî abuſus pernicioſus detegi & genuinus isqve ſaluberrimus armorum horum ſpiritualium uſus vindicari commodè poterit? Illâ verò qvi inſtructus probè fuerit, nullo negotio fucum cognoverit & ὀφθαλμοφανερῶς evicerit, qvod ſicut ex Arabum diverbio ظل الاعرج اعوج *Umbra claudi quoque curva eſt*, ita & impoſturæ hæreticorum his Literarũ juxta ac Lingvarũ Sacrarum involucris minimè ſic latitare poſſint, qvin pariter cum Sadducæis (g) eodem modo ad Scripturas provocantibus, ignorantiæ S. Literarum juxta ac Lingg. ipſi ſe reos turpiter agant.

§ 10. Erit hic in ſubſeqventibus hujus Diſſertatiunculæ pagellis nobis propoſitus Scopus, unum & alterum Scripturæ S. Vet. Teſtamenti locum ad trutinam Philologiæ S. expendere, qvo qvidem οἱ ἐξ ἐναντίας, non in corruptis Verſionibus (qvod magno numero oſtenderunt Theologi & Philologi Noſtrates nominatim Chemnitius, Gerhardus, Helvicus, Calovius, Hakſpannus &c.) ſed in ipſis Fontibus Hebr: ad heterodoxiam ſuam detorto ita abuti enituntur, ut illô veluti fragrantiſſimo thure, erro-

(f) Proverb. 26, 9. (g) Matth. 22, 29.

rum ſuorum fœtores impiè incruſtare minimè vereantur. Qvod ipſum ubi هانيا بالله *DEO Ductore* præſtiterimus, non erit cur ſubſcribere dubitemus Clenardi pronunciato (h) *Linguæ Hebr. cognitionem tam nobis gratam eſſe debere, quàm Exactam fidei & myſteriorum ſalutis noſtræ intelligentiam*, adeoqve ſec. Musculum (i) *Cognitionem Lingg. Hebr. & Græcæ ſtudiis non quaſi πάρεργον adjiciendam, ſed inſtar fundamenti in ipſum fundum mentium eſſe ſubmittendam.* Patere ſic etiam poterit, cum ex mente Arabum كمال العلم في العلم *Perfectio ſcientiæ in gravitate & utilitate ſit*, utiliſſimæ huic cognitioni litando adeò non operam ludi, ut potius fatente Philippo Melanchthone (k): *Si quem ab his ſtudiis deterreat, quod non videantur labori reſpondere præmia, is non ſatis religioſè de DEO ſentire videatur.*

CAPUT II.

Philologiæ apud JUDÆOS Abuſum monſtrans in Controverſia de Reſurrectione Mortuorum.

§ 1. Iſraelitarum armamentaria negligenter admodum inſtructa tunc fuiſſe videntur, cum ob defectum fabrorum (Philiſtæorum nempe aſtutiâ abductorum) in ipſa hoſtium caſtra deſcendere, ibiqve inſtrumenta etiam agreſtia exacuere coacti eſſe leguntur. Res non minoris periculi & audaciæ videbitur, adſerere, in Controverſiis qvæ Chriſtianos inter & Judæos agitantur, decidendis, argumenta ex Hebr. Linguâ hoſtibus ipſis vernaculâ deſumenda, adeoqve tela noſtra in ipſorum caſtris qvodammodo exponenda eſſe. Minimè verò erit, cur hîc animum deſpondeamus, ubi, qvalis apud illos hujus Linguæ peritia reperiatur, attentiùs inqviſiverimus. Ita nimirum Autor Libri

(h) qvod citat B. Dilherr. Eclog. Syr. p. 406. (i) Loc. Theolog. (k) Tom. I. Orat. de Stud. Lingg. p. 567. (l) 1 Sam. 13, 20.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-423 4° 1811

bri *Coſri* ipſe fatetur: (m) מצא אתה מה שמצא נושאיה נתדלדלה בדלותם וצרה במיעוטם *Idem accidit ipſi* (Linguæ Hebr.) *quod Dominis ejus, attenuata eſt & ipſa per attenuationem illorum, & anguſta per diminutionem eorundem reddita eſt.* Idem paulò inferiùs (n) זה מתעותינו ומריינו שאנחנו מפסידים תוכן לשונו שהוא מושם לחברה ונשיבהו למחלוקת: *Hoc eſt ex erroribus & peccatis noſtris; Corrumpimus qualitatem linguæ noſtræ, quæ cum data ſit ad nos conjungendos, Nos eam convertimus in materiam diſcordiæ.* Hinc non injuriâ de Judæis ſcribit Flacius: (o) *Illos nec ipſam Linguam quidem ſuam intelligere. Nam ut maximè de ſingulis vocibus aliquid verè ſentiant, tamen eosdem nec phraſes nec figuratas dicendi locutiones perſpicere, ſed hanc Grammatices partem prorſus ignorare.* Addit Idē Flacius: *Ubi ſemel* (Judæi) *res quæ in Bibliis traduntur, ſuis corruperunt erroribus, neceſſariò etiam linguam aut verborum ſignificationem, quæ jam in ſolo hoc libro habeatur, pravâ interpretatione aut intellectu corrumpunt, ut ita revera Linguam Hebræam noſtri temporis Judæi ignorent.* Idem ſtatuunt de Hebr. Linguæ apud illos notitiâ, Gerſon *Talmude German. editâ* (p) Philippꝰ Melanchthon *Orat.* (q) B. Kromajer. *Polymathiâ Theolog.* (r) Graſerus *in ultimis verbis.* (ſ) Obſtaculis verò hujusmodi à nobis remotis, qvis dubitet, nos debitâ ſolertiâ Hebr. literaturæ incumbendo, ex *Japheto* licet Originem ducentes nihilominus in *Semi* (Judæorum Parentis) *tabernaculis habitaturos*, dum (explicante ſic B. Hieronymo) *ejecto Iſraele in eruditione & ſcientiâ Scripturarum* (Linguæq; Originariæ) *verſemur*, & ſic ſec. Lactantii effatum, *Veriores nos veri Iſraelis ſucceſſores* habeamur.

 § 2.

(m) P. 2 n, 68. (n) P. 2 n 68. (o) Clav. Script. Tract. 6. P. 2 p. 668. (p) Cap. XI. pag. 68. (q) Tom. 4. p. 434, 447. (r) Cap. 36. (ſ) apud Sixtin. Amam. Antib. pag. 142.

§ 2. Aggreſſi hoc ipſum ſunt Philologi qvovis tempore celebratiſſimi, eventu ſatis auſpicato; è qvorum ingenti Catalogo Duos, qvi omnibus fermè obvii ſunt, nominamus, Hackſpannum, *in Notis Biblicis & Sylloge Diſputationum*, & Schertzerum Theolog. hodiè Lipſienſem, *in Trifolio Orientali*, qvos illi non abſurdiſſimos Judæorum errores (de Adamo ἀνδρογύνῳ, de DEO in cœlis orante, de peccatorum à morte demum remiſſione &c: qvæ ex non intellectis Scripturis acriter defenſum iverunt), juſto ſatis elencho perſtrinxerunt? ut aliis pariter felicis eventûs ſpes facilè ſuboriri potuerit; Eventurum hoc idem in doctrinâ ipſorum de *Reſurrectione mortuorum*, ſubſequentia documento eſſe poterunt.

§ 3. Inter XIII illos עקרים ſ. *articulos* qvibus fundamenta fidei Judaicæ Scriptores utplurimum comprehendunt, numero qvidem poſtremus, autoritate verò & credendi neceſſitate facilè primus ſtatuitur is, qvi agit de תחיית המתים *Reſurrectione mortuorum*, cui qvantum illi tribuant, Majmonides non obſcurè innuit, ita diſſerens (t) אין להם חלק לעולם הבא האומר אין תחיית המתים׃ *Non erit illis portio vitæ æternæ, qui negant in vitam revocandos eſſe mortuos.* Idem paulò inferius hunc ipſum *articulum* vocat קאעדה מן קואעד שריעה משה לא דין ולא ארתבאט באלמלה אליהודיה למן לא יעתקד *Fundamentum è fundamentis legis Moſis, quod ſi quis non credat, non futura ſit ei ſors aut locus in Judæorum religione.*

§ 4. Reperiuntur tamen oppido multi inter ipſos, qvi eundem hunc articulum aliqvâ ſaltim ex parte impugnent, dum non omnibus Reſurrectionem competere audacter pronunciant. Sic enim pergit ונץ ללפצלא רלך

בךא

(t) Sanhedrin cap. 10. in Porta Moſis Pococki p. 133.

בראשית רבה גבורת גשמים לצדיקים ולרשעים ותחית המתים לצדיקים בלבד *Pertinet ea* (Reſurrectio mortuorum) *ad ſolos virtute præſtantes. Expreſſe enim dicitur in Bereſchith Rabba: Demiſſio pluviæ ſimul eſt juſtorum & injuſtorum, at Reſurrectio mortuorum juſtorum tantùm.* Subſcribunt illi plurimi Hebræorum Doctores, è qvibus Aben Esra (u) תאבדנה נפשות הרשעים וזכר זרעם בעולם הזה׃ *Peribunt animæ improborum, & memoria ſeminis eorum in hoc mundo.* Nec ab illo diverſũ ſtatuit R. Saadia Gaon. (x) אלה שלא יקיצו הם עוזבי יהוה אשר ירדו לדיוטה התחתונה של גיהנום׃ *Hi ſunt qui non evigilabunt, qui deſeruerunt Dominum, qui deſcendunt in conclave inferius, in gehennam.* Pariter R. Schlomo ben Melech in Michlol Jophi (y) במותם אין להם תקומה כמו שאמר לא יקומו ותאבדנה נפשותם וילכו לאבדון כמו שאמר ואת נפש אויביך יקלענה וגו׳ *Cum morientur illi* (improbi) *non erit illis Reſurrectio, ſicut dicitur: Non reſurgent, & peribunt animæ ipſorũ, & ibunt in perniciem, ſicut dicitur: Et animæ inimicorum tuorum fundâ projicientur* &c. Qvibus ὅμοια λαλῶν Kimchius (z) הרשעים לא תהיה להם תקומה אלא תאבדו נפשם עם גופם ביום המיתה *Impiis non erit (illis) Reſurrectio, ſed peribit anima illorum cum corpore in die mortis*, & in Jeſ. 38, 18. לא כל הגופות יחיו ויעמדו מן הקבר׃ *Non omnium corpora vivent & ſurgent è ſepulchro.* Ἀνόμοια tamen φρονεῖν ſtatuitur à Sixtino Amama (a) & Clar. Thoma Gravio. (b) Qvæ verò à Sixtino afferuntur rationes, vix hoc ipſum evicturæ videntur, ut, qvem contribulibus ſuis hîc ὁμόψηφον cenſuerunt B.

Ger-

(u) Comment. in Pſalm. 1. (x) in Dan. 12 (y) in Pſalm. 1. (z) in Pſalm. 1 & alibi. (a) Antibarb. p. 614. ſeqq. (b) Notis ad Evangel. Perſicum Joh. 5 qvæ leguntur Tom 6 Bibl. Anglican.

Gerhardus (c) Tarnovius (d) Helvicus (e) Buxtorff(f) Pl. Rever. D. Waſmuthus, Præceptor noſter obſervandus. (g) Hottingerus (h) & ex Judæis ipſe Menaſſe ben Iſrael (i) nec ſine validis rationibus Hornbeck (k) ab erroris hujus contagio immunis pronuncietur.

§ 5. Errori huic ex ipſis S. Literis patrocinium acceſſunt laudati è Judæis Autores pleriqve, & qvidem ex *PSALM. I, verſ. 6.* eodemqve præter illos jam citatos, apud Menaſſe ben Iſrael R. *Hasday Creſcas* motus, *non ad omnes promiſcuè Reſurrectionem pertinere* cenſet. Infecit peſtilentiſſima hæc hæreſis hodiernos Socinianos è qvibus Crellius (l) *impios abolendos, delendos, penitus exſtinguendos*, magnâ contentione aſſerit. Qvam verò nullum hujus erronei dogmatis veſtigium in loco allegato deprehendatur, ipſorum Fontium (qvibus solùm Judæi inniſuri ſunt) & celebriorum verſionum inſpectio ſatis edocebit. Ita nimirum Fontes Hebr.

עַל־כֵּן לֹא־יָקֻמוּ רְשָׁעִים בַּמִּשְׁפָּט

||| in judicio || impii consiſtent non | propterea

Targum: לא יזכון רשיעי ביומא רבא Non juſtificabuntur impii in die magno.

Verſio Syriaca: לא נקומון רשיעא בדינא Non ſurgent impii in judicio.

Verſio Arabica: فلهذا لا يقوم المنافقن في القضاء ☼ Et propterea non ſtabunt hypocritæ in judicio.

Verſio Æthiopica: ובאנתז איתנסא רשען אמדין Et idcirco non reſurgent impii in judicio.

Verſio LXX Græca: Διὰ τοῦτο οὐκ ἀναστήσονται οἱ ἀσεβεῖς ἐν κρίσει Propterea non reſurgent impii in judicio. Ver-

(c) LL. Theol. Tom. 8 de Reſurrect. (d) in Pſalm. I. (e) Tom. 4 Diſp. Gieſenſ. 6 n. 19. (f) Lex. Rabb. R. קום (g) Programmate in Feſtum Paſchat. (h) de Reſurrect. Mort. p. 40. (i) apud Hornbeck in ת״י Lib. 8 cap. 4. (k) in ת״י Lib. 8 cap. 8. p. (l) Comment. in 1 Cor. 15.

Verſio Junio Tremelliana: Idcircò non exſurgent impii in judicio.

Verſio Vatabli: Ideo non ſtabunt impii in judicio.

Verſio Vulgata Lat: Propterea non reſurgent impii in judicio.

Verſio B. Lutheri: Darumb bleibē die Gottloſen nicht im Gericht.

Verſio Belgica: Daerom ſullen de Godtlooſe niet beſtaen in't Gerichte.

§ 6. Inqvirendum potisſimum eſt in convenientem verbi קום ſignificationem, qvam qvidem ſæpiusculè per *reſurrectionē* exprimi, nemo facilè negaverit. Qvotqvot ergo hanc etiam h.l. retinuiſſe deprehendimus, nec errori ſuprà expoſito patrocinaturi videntur, de *reſurrectione ad vitam* hîc ſermonem eſſe arbitrantur, qvam impiis minimè convenire ſolidè ſatis aſſerunt. Arridet inter alios hæc explicatio ex Patribus: Baſilio, Theodoreto & Auguſtino (m) præter hos verò Bellarmino & Genebrardo (n), Sixtino Amamæ (o) Gravio (p) &c.

§ 7. Minor probabilitatis ſpecies adverſariis fortè relinqvetur, ſi alteram hujus verbi ſignificationem eamq; ſatis freqventem hîc præferendam eſſe, reddendamqve per *ſtare vel conſiſtere* affirmemus. Ad qvam expoſitionem propè accedit hæc R. Schlomo Jarchi Gloſſa לא תהא תקמת רגל לרשעים ליום הדין ולחטאים ליכתוב בעדת צדיקים: *Non ſtare poterunt pedibus impii in die judicii & peccatores ut ſcribantur in concilio juſtorum.* Εμφαλικωτέρως etiam παραφράζει verbum hoc Chaldæus voce יזכון *juſtificabuntur*; Verſiones itidem non paucæ eandem interpretationem amplectuntur. Junius enim & Tremellius in Notis

 (*ne*

(m) Commentariis in h, l, (n) in Pſalm. 1. (o) Antibarb. Bibl. p. 617. (p) Not. ad loc. cit. Johann.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-423 4° 1811

ne ſublato quidem vultu audebunt ſe ſiſtere. Lutherus Sie bleiben nicht im Gerichte. Belgica: Se ſullen nicht beſtaen. Qvam explicationem etiam ex לקח טוב citat Dn. D. Gejerus (q) nec improbatur Theologis & Philologis aliàs nominatiſſimis, è qvorum nube ſufficiat enumeraſſe Gerhardũ (r) Tarnovium (s) Glaſſium (t) Münſterum, Muiſium, Grotium, (u) Marcum Marinum (x) Clarium, Hackſpannum (y) Flacium (z) Gatakerum (a) qvi omnes verbum יקומו reddunt per *conſiſtere*, ut ſenſus ſit; Impios ob injuſtitiam cauſæ in judicio divino non conſtituros, ſed ubi cauſâ ceciderint, ob ſeveram judicis ſententiam tanto timore perculſum iri ut ſec. Poetam:

— ὥστε λυθῆναι γούνατα καὶ φίλον ἦτορ,
Καί τε παραὶ ποσὶ θυμὸν καππεσέειν.

animum prorſus deſpondeant.

§ 8. Plurimis ſcilicet in locis Scripturæ hæc ſignificatio hujus verbi obtinet, qvomodo de *oculis ſenum* inocciduis uſurpatur 1 Sam. 4, 15. עיניו קמה *Oculi ejus* (Eli) ob difficilem motum *conſiſtebant* (caligabant). 1 Reg. 14, 4. idem de oculis Ahiæ dicitur, qvod eleganter Lutherus reddit, ſeine Augen ſtarreten für Alter. De regno minùs conſtanti uſurpatur 1 Sam. 13, 14. 1 Sam. 24, 21. לא תקום *non confirmabitur.* Opes improborum ad ruinam inclinantes eodem ſenſu dicuntur לא יקום *non perſtituræ* Job 15, 29. Conſilii vel verbi vis ac valor permanens verbo hoc קום exprimitur Deut. 19, 15. Eſ. 7, 7. C. 8, 10. Jerem. 44, 28. Eſ. 28, 18. Proverb. 15, 22. Iſraelitæ hoſtium adſpectum vix ſuſtinen-

(q) in Pſalm. 1. (r) in Loc. Theol de Reſurrect. mort. (s) in h. l. (t) Philolog. S. Tract. 3. Can. 1. de Verbo. (u) Comment. in h. l. (x) in Arca Noe Rad. קום (y) in h. l. (z) Clav. Script. P. I. p. 1041. (a) in Cinno ſ. Adverſ. Miſcell. Lib. 1. cap. 4.

nentes לא קמים *non conſtantes* fuiſſe dicuntur. Joſ. 7, 12. De impiis diſpergendis pronunciat Pſalm. 36, 13. לא יכלו קם *non poterunt ſtare vel conſiſtere.* Eodem in ſignificatu interdum æqvipollet verbo עמד qvod itidem de judicio uſurpatur Pſalm. 130, 3. אם עוונות תשמר יה אדני מי יעמוד *Si iniquitates imputaveris, Domine, quis conſiſtet.* Pariter qvando terribilis judicii dies Malach. 3, 2. impiis intolerabilis fore prænunciatur, Propheta quærit, מי העמד בהראותו *quis conſiſtet ipſo apparente?* Hinc in N. T. in idiomate Syriaco eodem ſenſu occurrit Radix hæc, ubi fideles orare jubentur ut digni reperiantur: למקום קדם ברה דאנשא *qui conſiſtant coram filio hominis.* De ſervo Domini ſui *judicio committendo* verba faciens D. Paulus *Rom.* 14, 4. eâdem loqvendi formulâ utitur אן קאם למרה קאם ואן נפל למרה נפל מקם הו דין קאם מטא גיר באידי מרה דנקימיוהי׃ *Quod ſi ſtat, Domino ſuo ſtat, & ſi cadit, Domino ſuo cadit, utique autem ille ſtat, facultas enim eſt in manibus Domini ejus, ut ſtabiliat eum.* In ipſo deniqve foro receptas eſſe hujus generis phraſes *ſtare in judicio vel conſiſtere* Ulpianus teſtatur, l. Si qvis in fine ff. Si qvis cautioni, ubi *Aliud eſſe* dicit, *ſtare in judicio, aliud conſiſtere*, ſic & contrà *cadere causâ* ſæpiùs occurrere, notius eſt qvàm prolixâ probatione indigeat.

§ 9. Appoſitè omnino judicialem verbi ſignificationem hic retineri ulteriùs ipſa textûs συνάφεια probat. Cum enim Pſaltes θεοφορούμενος commate præcedente piorum in adverſis conſtantiam comparaſſet cum עץ שתול על פלגי מים *arbore plantatâ ad rivos aquarum* &c. è contrario verò impios in turbine adverſitatũ eſſe במוץ אשר תדפנו רוח *ſicut glumam quam ventus diſpergit*, etiam ulterius ſortem impio-

impiorum infeliciorem fore tradit, dum nec in *judicio conſiſtendi* facultate pollebunt, piis in cauſæ bonitate triumfantibus. Qvod ergò aliàs Scripturæ ſolenne: ענין אחד במלות שנירה *Eundem ſenſum diverſis & commutatis verbis proponere*, idem hic fieri dixerimus, ut ſic ſubſeqvente hemiſtichio ſenſus verborum noſtrorum ſatis exprimatur, dum peccatoribus in cœtu juſtorum locum non futurum eſſe oſtenditur, cum ſcilicet ipſis non licuerit in judicio cum piis ſtare vel ſententiam judicis cum fiduciâ exſpectare; qvomodo & alii verba hæc explicare malunt, utpote Iſidorus Clarius, Münſterus, Vatablus (b) & רש״י qvi ſenſum verborum horum דבוק המקרא של אחריו *cohærere cum ſequentibus verbis* ſatis rectè conjicit.

§ 9. Erepto proinde Judæis hoc erroris ſui prætextu, ἐκ προσθήκης illis opponimus Doctores ipſorummet facilè primos, qvi Reſurrectionem univerſalem ipſisqve impiis communem rectè ſtatuunt. Sic nempe Abarbinel (c) האויבים אשר שפכו דמם כמים יקבלו עונשם בגוף ובנפש: *Hoſtes* (Iſraelitarum) *qui ſanguinem iſtorum inſtar aquæ effuderunt, reportaturos eſſe pœnam in animâ & corpore.* Menaſſe ben Iſrael lib. de Reſurrect. mortuorum ita diſſerit. (d) *Non de dormientibus Iſrael tantum, ſed de dormientibus in pulvere terræ* Daniel 12. *ſermonem eſſe* (à qvibus gentes vel impii excludi minimè poterunt). Galatinus *de Arcanis Catholicæ veritatis* ex מדרש תלים hæc citat (e) סברי דאמרי דלית מתין חיין דכ״תי רוח הולך ולא ישוב אלא זה יצר הרע שהלך עמו בשעת מיתה ואינו שב עמו בשעה שיעלו המתי׳: *Auſi ſunt dicere quidam, quod mortui non vivent, eò quod dicitur Spiritus vadens & non*

(b) Not. in h. l. (c) cit. Hulſio Notis in אבקת רוכל ſ. Theolog. Judaic. p. 171.
(d) apud Hulſium loc. cit. (e) Libr. 12, cap. 2.

& non reverſurus, ſed eſt figmentum malum, & vadit cum homine in horâ mortis & non revertetur cum eo in horâ, quâ reſurgent mortui. Cœterùm rationes omni exceptione majores, qvibus impiorum Reſurrectio aliàs adſtrui debeat, apud Theologos videri poterunt. Coacervarunt illas B. Gerhardus (f) Brochmand (g) nec non Hornbeck in תשובת יהודה ſ. Tractatu *de convertendis Judæis* (h) Pocock *Notis ad Portam Moſis* (i) ubi etiam rationes ſatis prægnantes ex Tacritio Scriptore Arabico famigeratiſſimo allegantur, qvibus vera ſententia ſtabiliri poſſit.

CAPUT III.

Qvis Philologiæ S. Abuſus apud PONTIFICIOS, ex dogmate Eorum de INVOCATIONE SANCTORUM oſtenditur.

§ I. In Pontificiorum Liturgiis preces ad ſanctos demortuos directas utramqve paginam facere, non ignorabit, qvi vel ἀκροθίγως ſcripta illorum delibaverit. Cultus hic DEO ſoli debitus licet non ſine manifeſtâ impietate ſanctis exhibeatur, eum tamen vel ex ipſis ſacris Literis probari poſſe perſvaſi ſunt. Bellarminus hìc præ cœteris operoſus, inter argumenta plurima in acie primùm collocat verba ipſius DEI apud *JEREM. XV*, I. qvæ in Fontibus & accuratioribus verſionibus ita habent:

אִם־יַעֲמֹד מֹשֶׁה וּשְׁמוּאֵל לְפָנַי אֵין נַפְשִׁי אֶל־הָעָם הַזֶּה

|| ad populum hunc || anima mea nō || ante me || & Samuel Moſes | ſtarent Si

Paraphraſ. Chald. אם יקום משה ושמואל למבעי מן קדמי לא רעוא קדמי בעמא הדין: Si ſtarent Moſes & Samuel ad intercedendum coram me, non eſt mihi beneplacitum in populo iſto.

 Ver-

(f) Loc. de Reſurrect. mort, Tom. 8. (g) Loc. de Reſurrect. mort, Q. 3. (h) Lib, 8. cap, 4. (i) Cap, 6. p. 190.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-423 4° 1811

Verſio Syriaca: אן נקום מושא ושמואיל קדמי לא צביא נפשי בעמא הנא: Etiamſi Moſes & Samuel ſtarent coram me, neqvaqvam placaretur animus meus erga populum iſtum.

Verſio Arabica: إن قام موسي وهارون امام وجهي لا يكن نفسي معهم Si ſteterint Moſes & Haron ante faciem meam, neqvaqvam erit animus meus erga iſtos.

Verſio LXX. Græca: Ἐαν στῇ Μωσῆς καὶ Σαμουὴλ (Ἀαρὼν) πρὸ προσώπου μου, οὐκ ἔστιν ἡ ψυχή μου πρὸς αὐτούς. Si ſteterit Moſes & Samuel (Aaron) ante faciem meam, non eſt anima mea ad eos.

Verſio Junio Tremelliana: Si Moſes & Samuel inſtaret coram me, minimè eſſet animus meus erga populum iſtum.

Verſio Vatabli & Vulgata: Si ſteterit Moyſes & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum.

Verſio B. Lutheri Germanica: Wenn gleich Moſe und Samuel für mir ſtünden / ſo habe ich doch kein Hertz zu dieſem Volck.

Verſio Belgica: Al ſtout Moſe ende Samuel vor myn Aengeſichte/ſo en ſoude doch myne Ziele tot deſen Volck niet weſen.

§ 2. Colligit hinc Bellarminus (k) *quod Moſes & Samuel jammortui potuerint & ſoliti ſint orare pro populo Judæorum.* Calvino autem objicienti, qvod tum non ſteterint vel oraverint, reſpondet, *ſi fortè ſignificetur, eos tunc non oraſſe, quia intelligebant, rem jam eſſe deſperatam, tamen ſignificari, eos aliàs orare conſueviſſe, quando ſe impetrare poſſe putarint, alioquin ineptam fore hanc DEI locutionem, Nam ſi quis diceret,* (pergit Cardinalis) *Si jumentum meum oraverit pro te, nihil impetrabit, ineptè loqueretur, quare, quia jumenta non poſſint orare, & ſimiliter, ſi quis diceret: Si venerit huc Cicero vel Demoſthenes, non perſuadebunt mihi, ineptè loqueretur, quia mortui huc venire non ſolent, Ita E. & DEUS (quod abſit) ineptè loqueretur cum dicit: Si ſteterint coram me Moſes & Samuel, ſi illi non poſſent vel ſolerent DEUM interpellare.*

Aliud

(k) Tom, 2, Lib. 1 cap, 18 p. 432, de Sanctorum Beatitud,

Aliud eſſet ſi Scriptura diceret, ſi ſtarent, id eſt ſi per impoſſibile nunc viverent & orarent, at nunc ait: Si ſteterint; & Græcè ἐὰν στῇ non ἐὰν ἱστῇ & Hebraicè יעמוד jahhamod *ſi ſtabit Moſes* &c. Eâdem ratione ex loco citato argumentatur Cornelius à Lapide (l) *In Hebr. eſt futurum* יעמוד *quod notat rei conſuetudinem, id eſt, ſi ſtet, uti ſtare ſolet*, E. *ſolent orare.*

§ 3. Qvod Pontificii hîc præter morem præteritis rivulis Fontes ſcrutentur, inſigni ſententiæ ſuæ commodo facere ſibi videntur, ſiqvidem non tam apertè hos ipſis contrariari perſvaſi ſunt, id qvod lucem afferre poterit iis qvæ ſuprà (m) à nobis dicta fuerunt. Qvam fruſtraneo tamen conatu ad abſurdiſſimum errorem Fontes hîc detorqveantur, mox patebit, ubi ὡς ἐν παρέργῳ Cardinalis δουλολογίαν notaverimus.

§ 4. Argumenti ſui robur in eo collocat, qvod, niſi Conditio illa impleatur, vel impleri ſoleat, vel minimùm poſſit, ab ineptiâ divinus ſermo vix liberari poſſit. Nempe eâ fuiſſe videtur ſententiâ, conditionalium propoſitionum veritatem pendere à veritate partium & ſimplicium, cum tamen qvi vel rudimenta Logicæ imbiberit, ignorare vix poſſit πολυθρύλλητον illud Dialecticorum: *Conditionem nihil ponere in eſſe.* Explicationem ipſius ſatis planam ſuppeditat ipſe etiam Societatis Jeſu Philoſophus Fonſeca, qvi Inſtit. Dialect. (n) *Quomodocunque*, inqvit, *conditionales ex ſimplicibus conficiantur, dicunt Dialectici, eas poſſe eſſe veras, etſi* NB *OMNES SIMPLICES è quibus conſtant SINT FALSÆ, ut ſi dicas: Si homo habet alas, volare poteſt. Id quod proprium & peculiare in hoc enunciationum genere ex eo eſt, quod ejus veritas in ſolâ conſecutione conſiſtit, quo fit, ut ſi conſecutio ſit bona & apta, enunciatio ipſa ſit vera, quocunque modo, quod ad veritatem & falſitatem attinet, partes ſe habeant.*

Hâc

(l) Comment. in h. locum (m) Cap. 1 § 8. (n) Lib. 9. cap. 15.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-423 4° 1811

Hâc de cauſâ dicere ſolent Dialectici: Conditionalem nihil ponere, quia ut ſit vera, nec antecedentis nec conſequentis veritatem requirit. Qvis E. non videt vano timore Cardinalem moveri ad ſtatuendum dogma erroneum, ut Scripturæ autoritatem & ſacri ſermonis etiam divinam puritatem ſalvam conſervet.

§ 5. Ne verò perculſus inepto illo exemplo de jumento, qvod intercedere nullo modo poſſit, inuſitatas planè in Scripturâ Sacrâ ejusmodi conditionales propoſitiones qvis arbitretur, in qvibus conditio inſolita, ſi non planè impoſſibilis expreſsè occurrat, ex ingenti earum farragine aliqvot adduci non ἀπροσδιόνυσον videtur. Neqve enim, etiamſi de impoſſibilitate conditionum hujusmodi convictus fuiſſet, ineptiarum divinam Scripturam inſimulare facilè auſus eſſet Bellarm., niſi immemor planè fuiſſet vel ſui ipſius aſſerti: (o) *Nullum in Scripturâ eſſe VERBUM fruſtra aut non RECTE* (multò verò minùs ineptè) *poſitum, vel &* Tragici illius exempli ab ipſo allegati; (p) qvod Theodorus Tragœdiarum Scriptor è *Scripturâ nonnulla ad fabulam,* (non fortè adeò ineptam) *transferens, luminibus captus & orbatus ſit.*

§ 6. Ignorare proinde Cardinalis non debuiſſet, Scripturæ S. in more eſſe, notante B. Hülſemanno (q) *negativam concluſionem inferre ex hypotheſi inuſitatâ vel planè impoſſibili;* qvod ſi verò promiſcuè illas hypotheſes fieri ſolere vel etiam poſſe, Bellarminus & Cornel. à Lapide contendent, vix ſanè ineptiarum notam effugere poterunt. Nemo ferè tam perfrictæ frontis fuerit, qvin conditiones hujusmodi fieri ſolere neget, ut cum Geneſ. 13, 16. Abrahamo

(o) Tom. 2 de Concili Autor Cap. 12, (p) Lib, 1 de Verbo DEI Cap, 2.
(q) in hunc locum.

hamo dicitur אם יוכל איש למנות את עפר הארץ גם זרעך
ימנה *Si poterit homo numerare pulverem terræ, etiam numerabi-*
tur ſemen tuum, cujusmodi labori vix qviſpiam vacabit, niſi
qvi nimis temporis & operæ ſe prodigum oſtenderit. Ge-
neſ. 15, 5. pariter impoſſibilitas numerandi ſemen Abrahæ
proponitur ſimili conditione אם תוכל לספר ככבי השמים
Num poterit quis numerare ſtellas cælorum? qvod ut ſibi arro-
gent Arithmetices peritiſſimi Mathematici, non admittit
Pſalm. 147, verſ. 4. ubi DEUS ſolus celebratur מנה מספר
לככבים *numerum iniens ſtellarum.* Aliqvoties repetitur Ge-
neſ. 19, 18 & ſeq. de numero juſtorum Sodomæ incolarum
אם אמצא *Si invenero 50, 40, 30, 20.* nec verò tot ibi in-
ventos eſſe paulò poſt memoratur, vixqve tot fuiſſe legun-
tur, qvot olim *Thebarum portæ, vel divitis oſtia Nili.* Pari mo-
do Judic. 6, 37. ubi Gideoni prodigii ſpes ab Angelo facta,
ut de re minimè uſitatâ loqvitur אם טל יהיה על הגזה
לבדה ועל כל הארץ חרב *Si ros futurus eſt ſuper vellus ſolum,*
& in omni terrâ ſiccitas, qvam conditionem aliàs ſic impleri
qvi dixerit, prodigium hoc planè ſuſtulerit. Regius Pſal-
tes ſecum reputans, qvod nuſpiam ubivis præſentem Sum-
mi Numinis dextram effugere poſſit, neqve tum hoc futu-
rum prævidet Pſalm. 139, 8. אם יסק שמים *Si volaverit in*
cælum, qvod qvi receptum eſſe aſſeret, qvos non ἀεροβα-
τοῦντες nobis obtrudet? Qvando Pſalm. 88, 12. ad ſignifican-
dam actionum hujus vitæ λήθην qvam lethum infert, hæc
qvæſtio conditionaliter proponitur אם רפאים יקומו יודוך
Num mortui reſurgent & laudabunt te Eſaiæ 26. negativè ſic ex-
primitur רפאים בל יקומו *Mortui* (gigantes) *non reſurgent,*
hoc verò fieri ſolere, vix alii qvam δεισιδαιμονέστατοι in Papatu
 (qvi

(qvi non immeritò *θαυματοφυλάκιον* ſic audiret) experti fuerint, qvibus qvippe non infreqventes cum lemuribus converſationes eſſe feruntur. Unicum adhuc ex Vet. T. notabimus locum Jerem. 31, 35. ubi Deus tum fœdus ſuum irritum fore ait אם ימרו שמים מלמעלה ויחקרו מוסדי ארץ למטה; *Si movebuntur cœli deſuper, & fundamenta terræ infra;* cum tamen usq; ad *πανολεθρίαν* hujus univerſi תכון תבל בל תמוט *præparatus ſit orbis ne moveatur* 1 Chron. 16, 30. In N. T. pariter obviæ ſunt hujus generis locutiones, ſufficiat vel unicum dictum obſervaſſe Galat. 1, 8. *ἐὰν ὁ Ἄγγελος ἐξ οὐρανοῦ εὐαγγελίζηται ὑμῖν παρ' ὃ εὐηγγελισάμεθα ὑμῖν, ἀνάθεμα ἔστω.* Qvod Syrus ad Hebr. idiotismum propè accedens ita effert אן מלאכא מן שמיא נסברכון לבר מן מא דסברנכון נהוה חרם *Si vel Angelus è cœlo aliud vobis Evangelium annunciaverit, quam quod vobis annunciatum eſt, anathema ſit.* Qvod ipſum qvi ſibi uſu veniſſe jactitaverit, non parùm ſe Enthuſiaſtarum & Fanaticorum ſomniis tribuere oſtenderit. Sed vel ſimili in caſu *παρασιώπην* in loco qvodam N. T. Bellarmino ſe præbet Gordonus Huntlæus qvi Joh. 21, 22. conditionale *ἐὰν* affirmativè *Sic* (prout Exemplaria nonnulla Vulgatæ Verſionis legiſſe contendunt Pontif.) vertendum eſſe, qvanto poteſt niſu allaborat, qvod non vulgare robur ad adſtruendum *μακροβιότητος* Johanniticæ figmentum allaturum eſſe certus eſt, qvam verò inanis ſit omnis illa opera ſolidè evincit B. Glaſſius in Philologiâ S. (r)

§ 7. Exempla jam allata ſufficienter oſtendent, ruinoſum admodum fundamentum eſſe conditionalem ejusmodi propoſitionem Propheticam, cui invocationem Sanctorum tam audacter ſuperſtruunt Pontificii. Vix prætere

(r) Lib. 3. Tractat. 7. Canone 6.

terea qvidqvam in prolixâ Bellarmini probatione reſtare, videtur, qvod operoſiorem diſcuſſionem mereatur, niſi qvod ſtrictisſimè adhuc diſpicere lubeat, an lucis qvidpiam ſententiæ ipſius accedat ex Hebrææ vocis conſideratione Grammaticâ, qvam is una cum Cornelio à Lapide ſeriò urget. Eqvidem ſi Ariſtoteli qvidqvam credimus, adſerenti: ἕκαστον κρίνειν καλῶς ἃ γινώσκει, καὶ τούτων εἶναι ἀγαθὸν κριτὴν *qua quisque intelligat, de illis etiam dextrè illum judicare*, ſolidisſima qvæqve Philologiæ S. ſpecimina à Cardinali Noſtro exſpectare liceret, qvippe qvi raro inter Purpuratos tales exemplo, etiam Lingvæ hujus Sacræ Inſtitutionibus de Lingvæ hujus incremẽtis promovendis benè mereri voluerit. At verò dedidiciſſe eũ adeò deprehendimus vel ipſos Lingvæ hujus Idiotismos, ut vel denuo ſtrigeli plusqvam Gibeliana ſe dignum exhibuerit, dum præciſè & determinatè futuri temporis ſignificationem in Hebr. verbo יעמד *ſtabit*, ſtatuere non dubitat. Adeone illum latere potuit, qvod futurũ innumeris in locis præteriti ſignificationem induat? nõ ſolum communisſimè cum ו converſivo futuri (uti Grammatici loqvuntur) ſed etiam ſine illo, qvando cum particulâ אם vel אשר conſtruitur, neqve enim exempla deſiderabit, qvi vel Vulgatam nonnullis in locis cum Fontibus contulerit. Idem dicendum de Græcæ vocis tempore, qvod itidem ſententiæ ipſius favere viſum eſt, ut ſic nullibi hic ſolidæ rationis veſtigium ipſi relinqvatur. Cautiùs ſanè procedere videntur Maldonatus & Tirinus (s) qvi non niſi generatim è Textu hoc invocationem Sanctorum confirmatum eunt, omisſis futilibus illis Bellarmini & Cornelii à Lapide ſubtilitatibus. Qvæ verò aliàs argumento huic & ſimilibus ad probandam invocationem

mor-

(s) Commentar. in h. l.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-423 4° 1811

mortuorum adduci ſolitis opponi debeant validisſima rationum momenta, apud Theologos fuſiùs videri poterunt.

CAPUT IV.

Qvomodo in negandâ SATISFACTIONE Chriſti SOCINIANI Philologiâ S. abutantur?

§ I. Qvod ex blasphemâ & impiâ Pighii (t) maledicentia Scriptura S. nomen *Lesbiæ regulæ* ſortita eſt, illud tantum non in omen tranſire qvis dixerit, dum à veritatis hoſtibus non uno modo tractari ſolet. Qvandoqvidem enim illis propoſitum ſit divinam veritatem, cui ex ſcito Hebræorum יש רגלים *pedes duo ſunt*, qvæq; inconcuſſo ſtat talo, qvacunqve ratione impugnare, mirum in qvot formas Protei ſe hîc transmutent, dum modò Verſiones ut ſibi faventes τοῖν ἀμφοῖν amplectuntur, modò easdem ut ſibi adverſantes rejiciunt, qvod qvidem eo probabiliori prætextu ut facere videantur, hoc præſertim velut σοφὸν φάρμακον applicant, examinandas eſſe Verſiones ad Fontes, è qvibus facilè errorum redargui posſint. Exemplo Nobis hâc vice ſint Sociniani, qvi dictis modis illam Chriſtianæ religionis ἀκρόπολιν, dogma *de Satisfactione Chriſti* acerrimè impugnant. Qvod dum à Noſtratibus ex ESAIA C. LIII, 6. invictè probatur, ubi peccata noſtra *Chriſto impoſita* in Vulgatâ Verſione verè dicuntur, illi indignæ παρερμηνείᾳ Verſionis Latinæ argumentum hoc in acceptis ferendum exclamant. Hoc verò qvam falſum ſit ἔγκλημα ex collatione Fontium & Verſionum qvæ in promtu ſunt, ὀφθαλμοφανερῶς conſtabit. Fontes hunc præbent ſenſum,

ויהוה

(t) Lib, I. Hierarch. Eccleſ, c, 2.

וַיהוָה הִפְגִּיעַ בּוֹ אֵת עֲוֹן כֻּלָּנוּ׃
||| noſtrum omnium iniqvitatem | τὴν || in eum incurrere fecit | Et DEUS

Paraphraſis Chald. מן קדם יהוה הות רעוא למשבק חובי כולנא בדיליה A facie Domini voluntas fuit, ut dimitteret peccata noſtra propter eum.

Verſio Syriaca: ומריא אפגע בה חטהא דכלן Dominus fecit ut irruerent in illum peccata omnium noſtrûm.

Verſio Arabica: والرب اسلمه بخطايانا Et Dominus tradidit eum peccatis noſtris.

Verſio LXX. Græca: ὁ κύριος παρέδωκεν αὐτὸν ταῖς ἁμαρτίαις ἡμῶν Dominus tradidit eum peccatis noſtris.

Verſio Junio Tremell. Et DEUS fecit ut incurrat in eum pœna omnium noſtrùm.

Verſio Vatabli: Jehovah conjecit in illum iniqvitates omnium noſtrum.

Verſio Vulgata Latina: Poſuit Dominus in eo iniqvitates omnium noſtrûm.

Verſio B. Lutheri: Der HErr warff alle unſere Sünde auff Ihn.

Verſio Belgica: De Heere heeft onſer aller Oengerechtigkeit op hem doen aenloepen.

§ 2. Nulla fermè Verſionum harum argumentum, ad probandam ſatisfactionem Chriſti, ex hoc loco deſumtum, invalidum reddit, proin Socinus cum aſſeclis ſuis idem invaſurus, præteritis Verſionibus Fontes aggredi maluit, ex ipſorum turbidâ depravatione producturus, qvod Orthodoxiam non parùm ſuſpectam reddat. Initiò qvidem ritè ſatis rejicit illam SemiJudæi cujusdam opinionem ac ſi verbum הִפְגִּיעַ hîc in ſignificatione *orandi* adhibeatur, ut ſenſus ſit *DEUM orare feciſſe Chriſtum pro peccatis noſtris*, in qvâ turpiſſimâ ψευδερμηνείᾳ illi ſuffragari ſatis felicem aliàs Scripturæ Interpretem Pagninum, nec ab eo diſſen-

ſentire Mercerum, id verò eſt qvod plurimi ſupra modum demirantur, præterqvam enim, qvod ſenſus ille rariùs in hâc conjugatione locum inveniat, contextus illum nullo modo admittit, neqve enim hîc particulam את *pro* innuere inferiùs patebit.

§ 3. Ipſe igitur Socinus variè allegata textûs verba pervertit, nec ſecum ipſe facilè conſentit. *DEUM*, inqvit (u) *in Chriſto*, hoc eſt *per Chriſtum vel cum Chriſto occurriſſe iniquitati omnium noſtrûm id eſt, ſe illi oppoſuiſſe & ejus impetum quodammodo à nobis avertiſſe*. Et alibi: *DEUM per Chriſtum occurriſſe & reſtitiſſe peccatis hominum, ſeverâ prædicatione & dulci vitæ æternæ per Chriſtum factâ obedientibus promiſſione*.

§ 4. Indubitatò hîc ex Hebr. Linguæ notitiâ, ſuppetias exſpectari poſſe clarè ſatis innuit B. Frantzius (x) ubi ex *conjugationis conſuetâ & exemplorum inductionibus perpetuis roboratâ affectione in hâc lite maximas nobis & invictas ſuppetias* promittens velut bellator non inexercitatus, animosè alios inſtruit, Nos proinde ipſius claſſicum ſecuti, verba ipſa expendere & adverſariorum ſtrophas exinde detegere annitemur.

§ 5. Principiò igitur, non eſt qvod Socino hanc libertatem linqvamus, ſive ſtatuat, *DEUM in Chriſto* ſive *per* ſive *cum Chriſto occurriſſe peccatis noſtris*, qvod ſcilicet hîc 1 DEI, 2 Chriſti 3 peccatorum mentio fiat, idqve per interpunctionem accentuum, de qvâ ſi nobis forte fidem habere recuſet, audiat Libri *Coſri* Autorem, qvi omnino ejus rationem habendam eſſe præcipit. (y) להבין הענינים מציירין בהם מקום הפסק והסמוך ומפריד מקום השאלה

ימ׳

(u) Prælect. Theolog c. 21 & Lib. 5. de Servatore Chriſto. (x) de Sacrif. V. T. Diſp. 22. (y) P. 2 n. 72.

מן התשובה והתחלה מן ההגדה והחפזון מן המתון והצווי מן הבקשה eos qvippe *facere ad intelligentiam, quibus locus pauſationis & continuationis in ſermone deſignatur, interrogatio à reſponſione diſtinguitur, exordium à narratione, feſtinatio à tarditate, præceptum à petitione.* Cum igitur hîc vox ויהוה Diſtinctivum habeat Paſchtham illo vox *DEUS* ut Subjectum à cœteris dirimitur, illum etiam in *quem incurrunt peccata* ab his ipſis per majorem diſtinctivum ſeparari non ignorant literis his μεμυημένοι.

§ 6. Deinde qvod Socinus verbum הִפְגִּיעַ vertat de *nudo occurſu* eoqve non admodum immiti ſed declarato per *dulcem vitæ promiſſionem obedientibus factam*, næ parùm ad nativam vocis hujus & qvidem in hâc conjugatione ſignificationem attendit. Neqve enim notius qvid eſſe poterit qvam ſignificationem conjugationis Hiphil eſſe tranſitivam (qvam *Syrus* & *Arabs* qvoqve retinent) qvo ſtante principio apud omnes qvippe receptiſſimo, corruit illa depravatio textûs qvod *Deus tantum cum Chriſto occurrerit peccatis*; potius enim *incurrere fecerit*, reddendum fuit. Propria autem vocis hujus ſignificatio qvæ ſit, ſatis exprimit Concordantiarum Autor docens: vocem פגע inde deductam ſignificare *occurſum malum* qvem alias vox מכה ſæpius oſtendit. Evolventi ergò Scripturas Sacras, offerunt ſe inprimis loca ſeqventia, è qvibus genuina verbi hujus ſignificatio facilè erui poterit. Numer. 35, 21. dicitur homicida הרוצח בפגעו בו *interficere* alium *irruendo in illum* Judic. 8, 21. Sebach & Salmunah vim ſibi inferri expetentes פגע בנו *impetum*, inqviunt Gideoni, *in nos facias*, 1 Reg. 2, 23 & 32. Ei qvi interficere jubetur Joabum dixit Rex: פגע בו *invade ipſum*. Job. 7, 20. מפגע (nomen ex hâc radice deductum) talem notat *impetum* qvi fit in ſcopum, in qvem

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-423 4° 1811

jàcula violenter jaciuntur. Amos 9, 9. Radix ipſa uſurpatur de *occurſu urſi*, à qvo non niſi certus interitus & letalis morſus exſpectari poteſt. Ex qvibus facilè patet, non nudum peccatorum occurſum hîc denotari, qvi etiam condonando vel *avertendo* conſiſteret, ſed qvod peccata noſtra violentum qvodammodo in Meſſiam impetum fecerint, qvæ ex verſ. 4. reddiderint ומענה נגוע מכה אלהים *eum plagis affectum, percuſſum & afflictum à DEO*, qvam vocis ſignificationem non neglexit R. D. Kimchi (licet de populo Israelitico textum exponat) ita commentans: העוון הוא הפוגע בהם האל הוא המפגיע ששלח להם הרע *Iniquitatem incurrentem in illos, DEUS incurrere fecit, qui immiſit in illos malum.*

§ 7. Nec qvidqvam cauſæ Socini inſervit, qvod nomen עוון cum particulâ את in dativo vertendum cenſeat, ut obtineat *DEUM cum vel per Chriſtum occurriſſe peccatis*, cui ne veritatis ſpecies deſit, Crellius addit; licet particula את accuſativi nota eſſe ſoleat, *hic tamen ut & alibi Dativi notam eſſe.* Qvoties autem in ſimili conſtructione occurrit, per accuſativũ reddi oportere, admodum abſurdus ſit qvi negaverit. E plurimis locis qvæ ἀκοινὶ occurrunt, notari velimus ſeqventia: Exodi 8, 21. משליח בך את הארוב *immittam in te locuſtas.* & c. 9, 14. שולח את מגפות בעמך *mittens plagas in populum tuum.* Levit. 26, 22. השלכתי בכם את חית *Immiſi in vos beſtias.* Deut. 29, 20. ישלח יהוה בך את המארה *Immittet Dominus in te maledictum.* Et poſtea ואת המהומה ואת המגערת בכל משלח ידך *Et tumultum & increpationem in omni ad quod extendes manum tuam.* Ibid. verſ. 21. ידבק יהוה בך את הדבר *adhærere tibi faciet Dominus peſtem.* & verſ.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-423 4° 1811

& verſ. 60. השיב בך את כל מדוה מצרים *reverti faciet in te omnem ægritudinem Ægypti.* Singula hæc loca mirè confirmant ἔμφασιν vocis הפגיע, cum in his particula את exprimat illud ipſum, qvod DEUS in populum aliqvem ex indignatione immiſerit; Pari modo & in præſenti loco indice qvaſi digito notat peccata vel peccatorum pœnas qvæ DEUS in Meſſiam incurrere voluit.

§ 8. Deniqve ad eò clarius proponendam ſatisfactionis doctrinam, non incommodè עון *pœnam* etiam peccatorum ſignificare, cur cum Crellio negemus, cauſa ſatis urgens non apparet. Chamier eqvidem hanc vocis ſignificationem in Synonymo חטא vix approbat (z). Eo verò ſenſu uſurpatur, qvando de hirco ἀποπομπαίῳ inſigni Salvatoris noſtri, in paſſione peccata & eorum pœnas portantis, typo Levit. 16, 21, 22. dicitur, qvod non ſolum confeſſus ſit Aaron peccata populi ſuper eum, ſed & qvod עונות *pœnas peccatorum deportaverit.* Sic Pythoniſſæ 1 Sam. 28, 9 & 10. Saul condonans pœnam qvā (capitalem alias), pertimeſcebat, jurat חי יהוה אם יקרה עון per Deum *Si* (qvod non) *illi evenire debeat pœna pro delicto hoc.* Itemq; Thren. 4, 22. denunciatur filiæ Zion: qvod תם עון *abſolvenda ſit ejus pœna dum* ſcil. *non* amplius *abducenda ſit.* Hinc ipſe etiam R. D. Kimchi vocem עון reddit de עון עונש *de pœnâ mulctæ.* Ex qvibus abunde conſtat, non inuſitatam nec inconvenientem hanc vocis עון expoſitionem de *pœnâ* peccati eſſe. Qvibus ritè expenſis, qvid vitii adhuc in Vulgatâ illâ Verſione (& hinc in Orthodoxâ ſententiâ abſurditatis) qvæ ſenſum Fontium non autem ἔμφασιν aſſecuta eſt, reſideat, aliis argumentis qvam qvibus hactenus adſtruere conatus eſt Socinus, confirmet, neceſſum erit.

تم بعون الله

SIT SOLI DEO GLORIA.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-423 4° 1811

Ἐπίμετρα Reſpondentis.

I.

Luculentum de Meſſiæ θεανθρώπου paſſione vaticinium Zach. 12, 10. indignè enervant LXX. Interpp. ex παραγράμματι unius literæ, Hebr. Fontes: הביטו אלי את אשר־דקרו *Reſpicient ad me illum ipſum quem transfixerunt* (qvo ſenſu etiam Joh. 19, 37. & Apoc. 1, 7. reperitur), reddentes: Ἐπιβλέψονται πρός με ἀνθ' ὧν κατωρχήσαντο (vel ἐξωρχήσαντο) ac ſi in Fontibus foret רקדו. Usque adeò ſec. Græc. illud, ἓν στοιχεῖον μεταστοιχειωθὲν τὸν νοῦν τῶν λεγομένων συνταράττει. Patet nempe hinc aut Verſionem τῶν LXX. corruptiſſimam & hodie & jam olim Hieronymi ætate fuiſſe aut Evangeliſtam non illam τῶν LXX Verſionem ſed ipſos Fontes hîc allegaſſe. Conferatur Excellentiſſ. D. Varenius Hoſpes nuper & Præceptor meus omni obſervantiâ colendus, *Colleg. Canonic.*

II.

Deut. 28, *66. Et erit vita tua quaſi pendens ante te*; & Pſalm. *95, 9. Dominus regnavit à ligno* vetuſtiſſimos juxta ac devotiſſimos Patrum contra mentem Spiritus S. de Crucifixione Redemptoris noſtri interpretatos eſſe, res ipſa evidenter ſatis oſtendit.

III.

Invalidum eſſe argumentum pro divinitate Meſſiæ patientis ex Eſaj. C. 53, 4. ubi dicitur מכה אלהים *percuſſus à DEO* ſeu *percuſſus DEI*, qvod Bellarm. & Galatin. reddentes *percuſſum DEUM* nectunt, certis rationibus Nonnemo probavit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-423 4° 1811

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-423 4° 1811